

excogitabant; id vero, si cum Senatu in publicum orator non prodiret, satis se consequi posse arbitrabantur. Aegre id decretum Messius tulit, deque eo Regem certiozem fecit; qui per literas cum Mocenico legato, modeste tamen, est conquestus. At is, non ex minus propenso in Regem animo, sed temporum conditione, rerum presentium statu profectum affirmabat; neque ultra Henricus contendit. Verumtamen adhuc Xystus majora petere, invitum coactumque suo decori ac dignitati, prout sibi melius videatur, consulturum, dicere. Donatus contra nihil, quo in Sanctissimam Sedem atque ipsummet Xystum obsequium observantiamque Venetorum significaret, relinquere. *Quid enim amplius expectet? Gentium jure usu inter Principes recepto, actum, nihil de pontificia auctoritate detractum aut imminutum: Navarra Regis oratorum statis cum Principe ac Senatu ceremoniis interesse interdictum; legatum extra ordinem, qui publicam in eum reverentiam in totius orbis christiani veluti teatro testaretur, missum: quid quod a Senatu vel optet vel petat, superesse? Ad ea Pontifex, ne saltem, uti aliorum Principum legatos, qui in aulae Principis vestibulo perhonorifice, stragulis instratis, excipi solent, Navarrai legatum admittant, postulat; Messio holoserico amictum, insigni cum pompa, ea tumidum atque inflatum legatione, Collegium ingressum. At Donatus, nihil praeter morem factum: atrata indutum veste prima die prodisse: quo minus legati, qua sibi placeret, veste incederent, prohiberi non posse. Eo igitur cum negotium redactum esset, omnesque legationis numeros Donatus explevisset, in patriam reditum a Xysto petere jubetur: quem tamen aliquanto duriorum initio expertus; nihilominus, decembris mensis exitu cum ad eum ambo oratores accessissent, se quidem, quae Senatus statuerat, probare minime posse, inquit, quod nempe Navarrae pro Galliae Rege habuisset: attamen nihil aliud ea in re acturum pollicitus, Donato abitum in patriam petenti, fausta cuncta feliciaque precatus, ultro permisit.*

Dum haec geruntur, Maynius sese ad bellum comparabat; copias colligebat; Principes literis ac nuntiis fatigabat; Romam missis procuratoribus, assidue Pontificem urgebat: hominem quoque ad Senatum miserat, qui de regni statu do-

1589

*Senatus
decretum,
ne Gallus
orator cum
Principe in
publicum
prodeat.*

*Leonardi
Donati
cum Pont.
officia.*

*Maynus
Dux nun-
tios Roman-
ae Venetias
mittit.*